Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 439
Quelle:
Copyright:

CLVII. ablatus a G. te d'Estampes p. 478. ubi de primis rhythmici hujus Opusculi lingua latina, belgica et germanica Editionibus pertractat. Caret illud *Praefatione*, quae in Editione, quam dictus Autor *Secundam* adpellat, cujusque Exemplum optime servatum a *Coelestinis Parisiensibus* ad Bibliothecam Ducis *de la Valliere*, ex ea porro divendita in *Caesaream* transiit, ita orditur:

625 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 48. 4. per duas columnas, quarum quaelibet praefixam habet Picturam, exaratus Exemplum est *Speculi Humanae Salvationis* antiquissimum, quod quidem solertissimo ejusmodi Κειμηλιων indagatori *C. H. ab Heinecken* oblatum est, ut testatur in *Idée Gen. d'une Collect. complet-*

Prohemium cuiusdam incipit noue compilationis
Cuius nomen et titulus est speculum humane saluationis &c.

Constat *Capitibus* XLV. quibus Reparationis humanae Οικονομια inde a Lapsu Angelorum usque ad Adventum S. Spiritus exponitur, adjectis deinceps multis de extremo Judicio, Poenis Damnatorum, Beatorum Gaudiis, Vita B. V. Mariae, VII. Horis Canonicis, totidemque Mariae Tristitiis et Gaudiis, quae omnia in singulis fere Capitibus *tribus Figuris* e Vet. Testamento, quin et Historia profana depromtis illustrantur. Picturae singulis Columnis praefixae longe rudiores sunt, quam quidem Iconismi illi xylographici, quibus ornata est memorata Editio; numero vero sunt CXCII. cum in Edit. tantum CXVI. censeantur. Pictura prima Deturbationem Sathanae in infernum sistit, atque sub ea Textus ita incipit:

Incipit speculum humane saluacionis
In quo patet casus hominis et modus reparacionis
In hoc speculo potest homo considerare
Ob quam causam creator omnium decreverat hominem creare &c.

Codicem multo uberiorem esse Editione, ex ipso Picturarum numero facile vides; sed etiam in illis ipsis, quae communia habent, Lectio saepe varia est, quod exemplis docere pronum foret, si quidem operae responderet pretium. Pictura postrema Deum Patrem B. Virgini coronam imponentem exhibet; Textus vero desinit:

Quod